



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Andreas Corsinvs. 6. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter se Regem ullum queri indignatus, barbara animo jam tum concepit consilia, mox sanguinem, necesse, orbasque matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè instructus dolos dolis texit, & ut noceret, amare se finxit, ut perimeret adoraturum se hostem etiam ipse promisit. Subhæc à Magis, fidere iterum anteambulone, Bethlemitum perventum. Ibi confidens stella, velut adventum gratulatura, hospites Reges è tecto salutavit. Exemplò ingreduntur, Regumque Regem in throno suo præsepi, sapientiam in infante, in homine Deum adorant: addunt deinde tributa, opes peregrinas, aurum, thus, myrram. Inde viam aliam in regna avita dux somnus dormientibus ostendit: sed sic idem hic vigilantem Herodem delusit. *Ex hist. Evang.*

Sicut Magi de thesauris suis Mysticas Dominum numerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt dignæ, promamus. S. Leo f. 2. de Epiph.

S. ANDREAS CORSINVS.

6. Ianuarij.

ANDREAM CORSINVM parentibus MAGNA VIRGO donavit, cum illi priùs eundem ex voto necdum natum eidem donassent. Videbatur sibi mater utero lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gratissimâ metamorphosi in oviculam abiret. Oraculum fuit non somnium. CORSINVS etenim adolescentis nonnihil liberior aliquamdiu cum mundo ululavit, post tamen gravibus ac assiduis parentis suæ monitis captus, religiosæ vitæ se mancipavit: à qua necquidquam eum abducere adnisi est veterator callidus, quamvis nobilem mentitus

mentitus vultum , quamvis opulentum oppidō conjugium pollicitus. Primum litanti augustissima cæli Regina visenda se cum Angelis obtulit, atque his eum affata est verbis: *Meam servies servitutem, ad hanc à me delectus.* Posthac Præsul nominatus Fesulanus, cum fugā se honori subduxisset, ab infante tum fante est proditus. Puer , nescio quis, cum sacro fonte tingeretur , Andreas lacrimas frequentes affudit : rogatus causam , respondit, puerum eum familiæ suæ probro, patriæ exitio natum; id quod reapse postea urbs credidit , cum vidit. Cum annum deinde ageret lxxi. ipso Christi nascentis per vigilio egregius servus à Domina sā vocatus ad libertatem est. Mortuum virgo sanctitatis famā per celebris, per scalas vidit cælum descendere; puto ne ullus Virginis amator dubitet eodem conniti , quando scalas habet. Ex Surio.

In Ecclesiam ingredere, ubi Christus discubuit, tuumq; præstolatur adventum, atque in spiritu humilitatis pedibus provolvere Domini Iesu; confitere scelera, deterge vulnera, reatum accusa, sponde conversionem, pete veniam, ut plenam consequaris indulgentiam. Laur. Iust. in sermonib.

S. LVCIANVS M. 7. Iannuarij.

P offsumus hodie ignoscere Samosatæ , quando maximum probrum ingenti decore obruit , & LVCIANVM dedit, qui non jam rideret cælum, sed moreretur pro cælo. Duodennis puer poterat tamen pater dici, cum hereditatem paternam jam tunc pauperum prædam fecisset. Mox inter cœnobitas adscriptus , & Sacerdotio iniciatus, Antiochiz